

clamet? at in dextra, qui vetet, ensis erat.
 effugiat? positis urgentur pectora palmis,
 tum primum externa pectora tacta manu.
 instat amans hostis precibus pretioque minisque: 805
 nec prece nec pretio nec movet ille minis.
 “nil agis: eripiam” dixit “per crimina vitam:
 falsus adulterii testis adulter ero:
 interimam famulum, cum quo deprensa fereris.”
 succubuit famae victa puella metu. 810
 quid, victor, gaudes? haec te victoria perdet. n.b.: Apostrophe
 heu quanto regnis nox stetit una tuis!
 iamque erat orta dies: passis sedet illa capillis,
 ut solet ad nati mater itura rogum,
 grandaevumque patrem fido cum coniuge castris 815
 evocat: et posita venit uterque mora.
 utque vident habitum, quae luctus causa, requirunt,
 cui paret exsequias, quoque sit icta malo.
 illa diu reticet pudibundaque celat amictu
 ora: fluunt lacrimae more perennis aquae. 820
 hinc pater, hinc coniunx lacrimas solantur et orant
 indicet et caeco flentque paventque metu.
 ter conata loqui ter destitit, ausaque quarto
 non oculos ideo sustulit illa suos.
 “hoc quoque Tarquinio debebimus? eloquar” inquit, 825
 “eloquar infelix dedecus ipsa meum?»
 quaeque potest, narrat; restabant ultima: flevit,
 et matronales erubere genae.
 dant veniam facto genitor coniunxque coactae:
 “quam» dixit «veniam vos datis, ipsa nego.» 830
 nec mora, celato fixit sua pectora ferro,
 et cadit in patrios sanguinolenta pedes.
 tum quoque iam moriens ne non procumbat honeste
 respicit: haec etiam cura cadentis erat.
 ecce super corpus, communia damna gementes, 835
 obliti decoris virque paterque iacent.
 Brutus adest, tandemque animo sua nomina fallit,
 fixaque semanimi corpore tela rapit,
 stillantemque tenens generoso sanguine cultrum
 edidit impavidos ore minante sonos: 840
 “per tibi ego hunc iuro fortem castumque cruorem,
 perque tuos manes, qui mihi numen erunt,

Tarquinius profuga poenas cum stirpe daturum.
iam satis est virtus dissimulata diu.”
illa iacens ad verba oculos sine lumine movit, 845
visaque concussa dicta probare coma.
fertur in exsequias animi matrona virilis
et secum lacrimas invidiamque trahit.
volnus inane patet: Brutus clamore Quirites
conciat et regis facta nefanda refert. 850
Tarquinius cum prole fugit: capit annua consul
iura: dies regnis illa suprema fuit.

Cic. imp. Pomp. §32-34

(32) Quam provinciam tenuistis a praedonibus liberam per hosce annos? quod vectigal vobis tutum fuit? quem socium defendistis? cui praesidio classibus vestris fuistis? quam multas existimatis insulas esse desertas, quam multas aut metu relictas aut a praedonibus captas urbis esse sociorum? Sed quid ego longinqua commemoro? Fuit hoc quondam, fuit proprium populi Romani, longe a domo bellare et propugnaculis imperii sociorum fortunas, non sua tecta defendere. Sociis ego nostris mare per hos annos clausum fuisse dicam, cum exercitus vestri numquam a Brundisio nisi hieme summa transmiserint? Qui ad vos ab exteris nationibus venirent, captos querar, cum legati populi Romani redempti sint? Mercatoribus tutum mare non fuisse dicam, cum duodecim secures in praedonum potestatem pervenerint?

(33) Cnidum aut Colophonem aut Samum, nobilissimas urbis, innumerabilisque alias captas esse commemorem, cum vestros portus, atque eos portus, quibus vitam ac spiritum ducitis, in praedonum fuisse potestatem sciatis? An vero ignoratis portum Caietae celeberrimum ac plenissimum navium inspectante praetore a praedonibus esse direptum, ex Miseno autem eius ipsius liberos, qui cum praedonibus antea ibi bellum gesserat, a praedonibus esse sublato? Nam quid ego Ostiense incommodum atque illam labem atque ignominiam rei publicae querar, cum prope inspectantibus vobis classis ea, cui consul populi Romani praepositus esset, a praedonibus capta atque oppressa est? Pro di immortales! tantamne unius hominis incredibilis ac divina virtus tam brevi tempore lucem adferre rei publicae potuit, ut vos, qui modo ante ostium Tiberinum classem hostium videbatis, ii nunc nullam intra Oceani ostium praedonum navem esse audiat?

(34) Atque haec qua celeritate gesta sint, quamquam videtis, tamen a me in dicendo praetereunda non sunt. Quis enim umquam aut obeundi negoti aut consequendi quaestus studio tam brevi tempore tot loca adire, tantos cursus conficere potuit, quam celeriter Cn. Pompeio duce tanti belli impetus navigavit? Qui nondum tempestivo ad navigandum mari Siciliam adiit, Africam exploravit, in Sardiniam cum classe venit atque haec tria frumentaria subsidia rei publicae firmissimis praesidiis classibusque munivit.